



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 54. Montferatensis Narchionessæ obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A.C. 1495.

dem nunc ducentos quinquaginta Lan-
cearios suis sumptibus alendos in Nea-
politani Pro-regis auxilium submitterent.
Verum omnes hæ pactiones Novarrensis
urbis calamitates neutiquam minuebant,
quamvis obsessi horrenda fame cruciati,
constanter in Regis fide perstitissent. Non
deerant, qui Carolo auctores erant, ut
ad honestas deditiois condiciones de-
scenderet: nec ab hoc consilio Rex om-
nino alienus erat, primas tamen hac in
re partes agere recusabat. Equidem Pa-
licius, alique urbem comneatu, atque
auctiore præsidio munire nitebantur, ten-
tabantque alicubi hostium propugnacula
armis superare; verum usque adeo irri-
to conatu, ut etiam Itali Aureliæ Duci
Francisanorum conventum, & suburbium
S. Nazarii eriperent; unde Aurelianen-
sis ceteris suburbiis ignem subicere com-
pellebatur, hujus obsidionis vi gravissime
arctatus, qui etiam malorum cumulo
succubisset, nisi opportuni casus bene-
ficio feliciter ereptus fuisset.

§. LIV.

Montferatensis Marchionissæ obitus.

Comm. 1. 8.
c. 4. tom. 2.
p. 136.

Eo tempore Montferatensis Marchionis
vidua, quæ Caroli partibus studebat,
rebus humanis erepta est, annos nata
viginti novem; erat filia Serviciæ Regis
a Tur-

a Turcarum Imperatore ditionibus spo-
 liati, ejusque obitu tam tutela, quam saecul. XV.
 Principatus, qui Paleologo puero illius A.C. 1495.
 filio obtingeret, administratio vacabant;
 duo erant, qui de tutela Principis con-
 tendebant, nimirum celebris ille Constan-
 tinus defunctæ Patruus, qui antea Mont-
 ferratum ad Marchionissam sese recepe-
 rat: alter erat Saluciarum Marchio, am-
 bo huic pupillo sanguine juncti, ac tam
 regimini quam tutelæ sat idonei. Ergo
 Statuum Ordines ad tutoris electionem
 Cafali conventum agunt, sed obstante
 ingenti utriusque Competitoris auctori-
 tate, res definiri non poterat; unde Ca-
 rolus Rex veritus, ne alteruter horum
 hac dissensione fretus, Mediolanensis Du-
 cis opera imploraret, Cafalim misit Phi-
 lippum Comminæum specialis legationis
 munere auctum, qui Ordines induceret,
 ut rectorem suum, necnon Principis pue-
 ri tutorem juxta legum præscripta eli-
 gerent. Itaque Philippus Cafalim con-
 tendit, & post crebras consultationes
 cum Optimatibus habitas, Constantino
 suffragatus est, ceteris omnibus huic ele-
 ctioni unanimes voto applaudentibus.